



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

Epistola III. Clementis Papae III. Ad Henricvm Regem Angliae. De eodem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

haec tenus regiae serenitati detulerit : quia tamen clamor ipsius ad nos indubitata fide peruenit , nequiuimus errata sua vterius sub dissimulatione clausis oculis praterire ; propter quod nihil in hac parte credimus actum , de quo debeat animus regius quacumque ratione moueri . Rogamus autem deuotionem tuam prece & affectione qua possumus , & monemus in Domino , quatenus memoratum Ioannem episcopum , quem nos & fratres nostri profisi honestate sincero corde diligimus , pro reuerentia apostolicæ sedis & nostra in visceribus caritatis commendatum habeas & acceptum , remissa , si qua fuerit , concepta indignationis offensa , ipsum in omnibus regia clementia & benignitate pertractes . Credimus equidem , quod de industria & probitate ipsius tibi & regno tuo , auctore Domino , multum accedere poterit incrementi , & nobis usque quamgratum existet , si optatum apud regias aures preces nostræ fortiantur effectum . Datum Pisæ decimo septimo Kalendas Februarii , indictione sexta .

## E P I S T O L A III.

## CLEMENTIS PAPÆ III.

AD HENRICVM REGEM ANGLIÆ.

De eodem.

*Clemens episcopus seruus seruorum Dei Henrico illustri Anglorum regi salutem & apostolicam benedictionem.*

**C**VM ab apostolica sede preces suscepit regalis excellētia , auctoritas & potestas , quas ecclesiis in suo statu seruandis , & multorum saluti expedit effectui mancipare , diligenter eas debet regia sublimitas exaudire , & tanto fortius & feruentius intendere , ut effectum consequantur optatum , quanto certius fuerit , quod earum deuota susceptio & diligens executio regalem gloriam respicit pariter & salutem . Hinc est quod serenitati regiae pro venerabili fratre nostro Ioanne episcopo sancti Andreæ literas apostolicas & preces duximus cum fiducia destinandas , altitudinem regalis eminentiæ quanta possumus affectione rogantes , monentes , atque in remissionem peccatorum omnium iniungentes , quatenus pro re-

E iii

uerentia beati Petri & nostra, & persecutionis eius obtentu, quam certum est ipsum iam longo tempore pertulisse, carissimum in Christo Vvilielmum filium nostrum illustrem regem Scotorum moneas attentius, & inducas, & si necesse fuerit districione regali, qua ei præmines, & concessa tuæ regiæ celsitudini potestate compellas, vt totius indignationis suæ rancorem, (quam erga episcopum concepit quorumdam malitia susurronum) regiam dignitatem & salubria opera pietatis attendens, ei qualibet occasione remota condonet, & dioecesin sancti Andreæ, quam de communi fratrum consilio & assensu summus pontifex sibi perpetuo confirmauit, de cetero ipsum quiete permittat & absque calumnia possidere. Cum & ipse paratus existat regiæ maiestati, prout fuerit consentaneum rationi, existere in omnibus obediens & fidelis.  
Datum Pisæ xvii. Kalendas Februarii, indictione sexta.

## EPISTOLA IV.

## CLEMENTIS PAPÆ III.

AD CLERVM EPISCOPATVS SANCTI ANDREÆ.

Pro Ioanne episcopo sancti Andreæ.

*Clemens episcopus seruus seruorum Dei vniuerso clero episcopatus  
sancti Andree salutem & apostolicam  
benedictionem.*

LICET in rebus dubiis valeant aliqui suam astutiam seu malitiam ostentare, cum tamen scrupulus fuerit, & articulus dubietatis amotus, & manifestis indiciis apparuerunt vestigia veritatis, penitus sunt deuia relinquenda, & rectitudinis tramites inquirendi pariter & seruandise, quod absit, aliter agentibus, & in sua pertinacia consistentibus, post flagella præsentia poenalsque condignas perpetuæ mortis interius supplicio deleantur æterno. Volentes ergo paterna sollicitudine vestræ saluti prospicere, & vtilitatibus & quieti vestræ prouidere, vniuersitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, & in obedientiæ virtute iniungimus, quatenus infra quindecim dies post harum susceptionem venerabilem fratrem nostrum Ioannem episcopum vestrum, in